Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



palma exaltata sum in cades & quasi plantacio ro
se in iericho. Quasi oliua speciosa in campis. & quasi
platan exaltata sum. iuxta aquam in plateis Sicut
cynamonum & balsamum aromatizans. odorem dedi.
Quasi myrra electa dedi suauitatem odoris. S. lucam.

In illo t. Intrauit ihs in quoddam castellum & mulier quedam martha nomine excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine maria Que etiam sedens secus pedes dni audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Que stetit. & ait. Domine. non est tibi cure. quod soror mea reliquit me solam ministrare. Dic ergo illi. ut me adiuuet. Et respondens dixit illi dns. Martha. martha. sollicita es. & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit que non auferetur ab ea. In oct. marie. v.

Ego quasi uitis. Require in purificatione lvglm Intrauit ihs. In vigilia
Beatus uir qui inuentus est. lvglm Ego sum uitis uera. Bartholomei
Fratres iam non estis hospites In die sco Sctm lucam.

In illo t. facta est contencio inter discipulos ihu. quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis. Reges gentium dominantur eorum. & qui potestatem habent super eos benefici uocantur. Yos autem non sic. Sed qui maior est in uobis. fiat sicut iunior. & qui precessor est. sicut ministrator. Nam quis maior est. qui recumbit an qui ministrat. Nonne qui recumbit. Ego autem in medio uestri sum. sicut qui ministrat. Yos autem estis qui permansistis mecum in temptacionibus meis. Et ego dispono uobis sicut disposuit michi pater meus regnum. ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. & sedeatis super thronos in